

**A** auferre, sit animum illis, & omnem ferociam ac temeritatem adimere, & ex præfractis & minacibus abiectos reddere, & pusillanimes: deinde, vt sit vitam illis auferre. Vtrumque autem dictione spiritus rectè poterit intelligi. Et vtrumque fanè non sine magna potentia à Deo vsuuenit Mundi huius principibus.

Quid autem rationis est Prophetæ, quòd ista de Deo populo Dei prædicat? An solis principibus ac regibus terribilis est? An solis principibus adimit spiritum, & non etiam vniuersis mortalibus? Deinde quid solatij habet, vnde pius animus exultare debeat, quòd principibus ac regibus Deus spiritum adimit: cum potestate diuinitus data fungantur, & rebus humanis possint esse plurimum vtilis, sint etiam necessarij. Hæc omnia vera sunt: & tamen videmus hîc Prophetam non sine affectu gaudij & gloriæ diuini nominis desideranti ista prædicare de Deo, quòd sit terribilis regibus, & spiritum principum auferat. Minas scilicet & terrorem impiorum principum ac regum contemptui cupit exponere, fide & cognitione illustrissimi, potentissimi ac tremendissimi Dei. Ideo inculcat populo Dei, nò solùm cogitationes illorum, sed & ipsam vitam in manibus esse Dei, vt auferre eam possit quodcumque libuerit. Hæc ablata, quid sunt omnia illorum studia, minæ, & conatus? Sic Psalm. 146. Nolite, inquit, confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quid igitur? Nec timèdi sunt, nec fidendum illis, quorum spiritus aufert Dominus, qui filij sunt hominum, terra animata, quæ ablato spiritu ad originis humilitatem redit, & prorsus inanis redditur, vt simul omnes cogitationes cum amicæ, tum inimicæ vno die pereant.

## PSALMVS LXXVII.

AD PRÆCINENDVM SVPER IEDVTHVN, PSALMVS Afaph.

## ARGVMENTVM PSALMI.

**H**abet hic Psalmus anxias animi ad afflicti cogitationes, consolationem ac respirationem in Deo suo querentis. De quibus autem tribulationibus intelligendus sit Propheta, licet nominatim nò exprimat verisimile tamen est, cordis sui anxietatem, quam in exilio non tam pro se, quàm pro populo Dei sollicitus, sub tyrannide Saulis, vbi omnia deplorata videbantur, expertus erat, hoc Psalmo ob oculos exponere, ac populo exempli gratia ad præcinendum dare voluisse.

Dispositio Psalmi.

**B** Viginti sunt huius Psalmi versus, quos in duas partes secernere possumus, ita vt primi novem, eas cogitationes habeant, quæ anxietatem cordis ad afflicti, desperationisq; tentationem complectantur: reliqui vero vndecim eas exprimant, quibus diuina bonitatis & potentia miraculis consideratis, animi anxietatem dispellere, ac robur fidei recipere cœpit.



**V**ox mea ad Deum, & clamabam: vox mea ad Deum, & auscultabat mihi. VERS. I.

2. In die tribulationis meae Dominum quærebam, manus mea nocte extendebatur, nec quiescebat, consolationem respuebat anima mea.

3. Recordabar Dei, & conturbabar: meditabar, & mœrore inuoluebatur spiritus meus. Selah.

4. Tenebas palpebras oculorum meorum, consternabar, & non loquebar.

5. Cogitabam dies antiquos, & annos seculorum.

6. Recordabar psalmorum meorum nocte, loquebar cum corde meo, & peruestigabat spiritus meus.

7. Ergone in aeternum derelinquet Dominus, aut non addet, vt placidus sit ultra?

8. Num defecit in sempiternum bonitas eius: sinè mne habet oraculum à generatione in generationem?

9. Num oblitus est misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas? Selah.

10. Et dicebam: ista est imbecillitas mea, mutationes sunt dextra excelsi.

11. Recordabar operum Domini, quia recordabar ab initio mirabilium tuorum.

12. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & de studiis tuis loquar.

13. Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus?

14. Tu es Deus qui facis mirabilia, notam fecisti in populis virtutem tuam.

15. Redemisti in brachio populum tuum, filios Iacob & Ioseph. Selah.

16. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, timuerunt & commota sunt abyssi.

17. Inundarunt aquis nubila, vocem dederunt nubes, etiã sagitta tua discurrerunt.

18. Vox tonitruui tui in rota, illuxerunt fulgura tua Orbi, commota est & contremuit terra.

19. In mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua nò cognoscuntur.

20. De duxisti sicut oues populum tuum, in manu Moysi & Aaron.